



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 41. Inventio S. Cæciliæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX.  
A. C. 820.

§. XLI.

*Inventio S. Cæciliæ.*

*Conc. to. 4. p. 136. Anast. in Paschal.* Romæ inventum est Corpus S. Cæciliæ Martyris. Jam anno quingentesimo Ecclesia in Urbe a S. Cæcilia dicta, & unius Presbyteri Titulus, stabat, quam collapsam cum Paschalis Papa reparare cœpisset, maxima sollicitudine de inveniendō S. Cæciliæ corpore tenebatur, quod crederetur a Longobardis ablatum cum pluribus aliis, quæ olim sub Rege Aistulpho anno septingentesimo quinquagesimo quinto urbem obsidentes ex Cæmeteriis Romanorum furati fuerant. Ecce autem, quadam die Dominica Paschali Papæ in Basilica S. Petri de more vigiliis celebranti & forte somno depresso apparuit S. Cæcilia, atque edocuit, a Longobardis corpus suum inveniri non potuisse, sed futurum, ut Pontifex illud inveniret. Nec fefellit Paschalem hæc visio; nam Corpus Virginis invenit in Cæmeterio Prætextati via Appia aureis indutum vestimentis, pariterque lintamina Sanctæ Martyris cruore imbuta. Simul Valerianus Virginis Sponsus inventus, & utriusque Reliquias Papa Romanam in Ecclesiam S. Cæciliæ unacum corporibus Tiburtii, Maximi Martyrum, itemque Urbani & Lucii Pontificum transferri jussit.

*Sup. Lib. XLIII. §. 16*

De

117.2



De his Sanctis omnibus, si Lucium <sup>Sæculum IX.</sup>  
 excipias, occurrit mentio in Actis S. Cæ- <sup>A. C. 821.</sup>  
 ciliæ, quæ licet hac Translatione anti- <sup>ap. Sur. 22.</sup>  
 quiora videantur, recentiora tamen sunt, <sup>Nov.</sup>  
 quam ut fidem plene mereantur. Inde  
 nec tempus, nec locum, quo illustrissima  
 Virgo Martyrium passa est, accurate sci-  
 mus. Paschalis Papa in honorem San- <sup>Tillemont.</sup>  
 ctorum istorum prope Ecclesiam S. Cæ- <sup>to. 3. p. 260.</sup>  
 ciliæ fundavit Monasterium, in quo Mo- <sup>689.</sup>  
 nachi Officium Divinum diu noctuque  
 celebrarent. Hanc Ecclesiam munifice  
 ornavit conferens vasa argentea plus-  
 quam nongentarum librarum: Præter a-  
 lia Ciborium seu Tabernaculum quin-  
 gentarum librarum, magnam vim vela-  
 mentorum, & pretiosorum textilium,  
 quorum aliquod Angelum S. Cæciliæ,  
 Valeriano, & Tiburtio coronas imponen-  
 tem exhibebat. Unde videmus, quod  
 illa tempestate Actis memoratis fides ha-  
 bita sit.

## §. XLII.

*S. Benedicti Anianensis obitus.*

In Francia S. Benedictus Anianensis eo- <sup>vit. n. 50. 52.</sup>  
 dem anno octingentesimo vigesimo <sup>to. 5. Act. B.</sup>  
 primo e vita migravit, postquam Fratres <sup>p. 211.</sup>  
 Monasterii sui Indensis prope Aquisgra-  
 num ad eum perfectionis Regularis gra-  
 dum perduxisset, ut Monachi ex diver-  
 sis mundi partibus illuc advenientes non  
*Hist. Eccles. Tom. XI. I ver-*